



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dispvatio XXXII. De rixa, duello, seditione & scandalo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

compelli, & hi ex eorū bonis possint sibi auctoritate legitimi iudicis cōpensationem sumere.

Prob. Secūdo, quia, ut suprà ostendi, in bello iusto bona innocentū licitè diripiuntur, quando hoc est necessarium ad obtinendam plenam satisfactionem; ergo idem fieri potest per repraesalias: est enim omnino eadem ratio. Nec refert quod bellum requirit grauiorem causam: quia eius damna & incommoda sunt etiam longè grauiora & acerbiora quàm repraesaliam.

135

Tertio, quia cōmuni vsu & approbatione tãquam iustum ac licitū receptum est, ut, quando aliqua resp. ob acceptum mutuum, venditū cēsum, aut similem causam, debet aliquid ciuibus alterius reipubl. & suo tēpore rogata nō soluit; hi in vtroq; foro licitè quemuis illius ciuem, etiā illius debitor aut defectus solutionis omnino ignarū, eiussue bona arceant, atq; ita eum ad solutionē compellant. At qui quando aliqua resp. legitime requisita ut suos subditos compellat ut mihi mea reddat, aut pro damnis illatis satisficiant, id iniuste negat, mihi nō min⁹ ex hoc delicto tamquā iusta causa damni quod patior obligatur satisfacere, quàm obligaretur ex contractu; ergo in vtroq; casu in illius defectum licitè per legitimam auctoritatē compello quemuis

eius ciuem mihi satisfacere, eū eiussue bona ubi cōmodè possum arceat, aut apprehendendo: est enim omnino eadē ratio, nec in vno casu magis quàm in alio, vnus ob alterius culpā aut debitū grauatur: quare si id in vno non repugnat equitati naturali, nec etiā repugnat in alio. In vtroque tamen casu resp. quæ negauit solutionem aut iustitiam, tenetur suis ciuibus idē latis omnē damnum quod passi sunt rescire.

Ad iura allata n. 131. Respōdeo ea aperte loqui de casu, in quo sine auctoritate supremi principis vnā ciuitas cōtra aliam sub eodem principe secū constitutam concedit repraesalias: quo casu nullo modo sunt necessariae, cū creditores sub cōmuni iudice possint ac debeant ius suū prosequi, & idē eiusmodi repraesalia merito damnantur ut legibus odibiles, & equitati naturali cōtrariae. Vnde etiā patet ea iura nihil facere cōtra nos, qui agimus de casu in quo illæ cōceduntur auctoritate supremi principis cōtra ciuitatē, quæ cum lēis nō habet cōmunē iudicem, idq; præcisè idē, quia aliter satisfactio obtineri nequit: quod, ut patet ex dictis, equitati nullo modo repugnat, cū, ut ostendit n. 133. & 135. is qui grauatur sit huic grauamini obnoxius ratione reip. cuius est pars, & cui sua bona obstricta sūt.

136

Quæstio
salutis
prohibetur

DISPUTATIO XXXII.

De rixa, duello, seditione & scandalo.

DVBIUM I.

Quid sit rixa & quale peccatum?

D. Thomas.

Divus Thomas 2.2. q. 41. a. 1. distinguit rixā à contentione: e; quod hæc consistat in cōtradictione verborū, rixa verò in cōtradictione quæ factis exercetur, quibus vnus alterū conatur lædere. Docetq; esse quoddam bellum priuata auctoritate assumptū, siue quo duo aut pauci aliqui sine legitima auctoritate inter se pugnat. vnde infert, rixā propriè dictā esse semper peccatū, & quidē mortale, nisi leuitate materiæ excusetur: ut sit quādo parui pueri inter se pugnant. Quæ satis clara sunt: nisi forte velit quis hīc instituere quæstionē de nomine, & cōstituere rixam in sola pugna verborum, atque aded eā cōfundere cum cōtentione, prout vulgò videretur confundi. Sed hæc quæstio parui momenti est. Solū itaque est hīc difficultas circa duellum, quod est quādā species rixæ, an scilicet semper sit illicitum. de quo dubio sequēti.

DVBIUM II.

Vtrum duellum semper sit illicitum?

2
Duellum
quid sit.

Nota duellū propriè esse pugnā inter duos ex conditōe susceptā. vnde si quando duo sibi occurrentes aut simul consistentes, casu aliquo oborta occasione subito inter se pugnent, non est propriè duellū: atque ita pœnæ in duellantes statutæ, non habent in hos locum, ut cōmuniter omnes fatentur. Per duos autem hīc intelligo non solū duos homines, sed duos etiam populos aut duas factiones. Hinc apud Horatium l. 1. epist. 2. dicitur:

Gracia barbaria lento collisa duello.

Cōmuniter autem iam solent vocare duellum pugnam, quæ inter duos aut paucos aliquos & ferè certo numero constitutos ex conditōe committitur: & iura verantia ac punitentia duella de his pugnis loquuntur. quare de iis solis hīc disputamus. nam quid sit censendum de pugna quæ inter duos populos aut principes committitur, satis dixi disp. 31.

Nota Secūdo, eiusmodi duella quandoq; suscipi cū certa solēnitare, datis loco & fide securitatis pro eo qui focium occiderit, & adhibitis sponsoribus quos patrilinos vocant: & tunc dicitur publicum siue solemne. Aliàs fit sine eiusmodi cæremonijs, & dicitur priuatum.

Nota Tertio, duellum posse suscipi ob varias causas. Primò, ob meram virium ostentationem, aut ut alijs spectaculum exhibeatur: prout olim gladiatores certabāt in theatris. Secūdo, ad vindicandā iniuriā nobis illatā; ut contingit in illis, qui accepta iniuriā inferētes ad duellum prouocant. Tertio, ut quis defendat suum honorem, quem existimat lædi si oblatū duellū nō acceperit; eò quod ab omnibus habēdus sit ignauus. Quartò, ad explorandā rei alicuius, quæ siue in iudicio, siue extra illud inter aliquos cōtrouertitur, veritatem; ita ut ille censeatur fouere iustam causam, qui in duello victor euaserit. Potest autem hoc iudicium esse vel criminale, ut quando aliquis de aliquo crimine accusatur, quod actor sufficēter nequit probare per testes, ideoq; prouocat reum id negantē ad duellum, ut veritas hac ratione probetur: quod olim erat valdè frequens. aut etiam civile, ut quando agitur de quibuscūq; bonis, & nequit probari cuius sint, aut an reus actori verè aliquid debeat.

Quin.

Quintò, potest id committi inter veros hostes vt hac ratione paucorū strage, bellum finiatur, aut vt aliqui milites sua virtute aduersarios profligantes ostendant, hos non esse timendos, & ita suorum animos erigant, aut efficiant ne hosti sint contemptui: qua ratione David inuit duellum cum Goliath. Sextò, ad reprimendam audaciam alicuius Deum blasphemantis, atq; ita ad propugnandam Deigloriam, vt si Mahometanus diceret Christum esse impotentem Mahometum, nec posse suos contra cultores Mahometis protegere, idq; vellet duello probare. Septimò, si quis inimicum suum in arcto deprehensum vt fugere non posset, prouocaret ad duellum, ipsum nisi id statim acceptaret ac se defenderet occisurus, & hic vt vitam suam tueretur id acceptaret suscipiendo arma ab alio oblata, aut se ad pugnam preparando, & deinde pugnando, sed tunc non est verè duellum, sed ex vna parte iniusta alterius iniuria, & ab altera iusta sui defensionis; ideoque de hoc casu nequit esse dubium.

Satis autè constat Primò, in tribus prioribus casibus duellum omnino illicitè suscipi. De primo patet, quia sua vitæ periculo & aliena occisione velle suas vires ostentare, aut alijs spectaculum præbere, omnino barbarum & immane est trahens secum & corporis & animæ perniciem. Vt dicitur c. 1. de torneamentis, & in Tridentino sess. 25. c. 19. de reformat.

De secundo casu prob. quia vindicta iniuriæ est illicita nisi fiat publica auctoritate & legitimo iudicii ordine, & ita vt solus nocēs sine aliorum periculo pro meritis puniatur; quæ in duellis non seruantur, quæ priuata auctoritate fiunt, & vtriusq; partis periculo; adeò vt in ijs tam passus iniuriam possit occidi, quam is qui intulit, unde etiam a iudice iniquè permitterentur.

De tertio casu id multi probant, quia recusare duellum eò quod sit illicitum, non est ignominiosum apud homines prudentes & cordatos, sed solum apud homines vanos & res suis momentis non expendentes, quorum iudicium contemnendum est.

Sed hæc ratio patitur difficultatem. Primò, quia multis locis vsu quantūvis reprehensibili, tamè a parte rei iam inductum est, vt si quis miles aut nobilis recuset oblatum sibi duellum, quantumvis dicat se id facere quia illicitum est, habeatur ab omnibus ignauus & indignus nobilitate ac militia; ita vt non nisi cum rubore inter nobiles aut milites comparere audeat, nec vlla sit ei spes vllius promotionis. Quod sine dubio valde graue est, & à plurimis ipsa morte grauius aestimatur. Secundò, quia si quis militè aut nobilem inuadat, eum læsus nisi se defendat, potest hic illum si necesse sit occidere, quantumvis fugiendo possit omne incommodum euadere, eò quod fugere sit ei ignominiosum: ergo cum prouocato ad duellum sit ignominiosum id recusare, poterit id acceptare vt vitet ignominiam.

Respondent aliqui negando consequ. eò quod recusare duellum solum sit ignominiosum apud homines vanos, secus autè esse de illa fuga. Sed ego videre non possum, cur apud homines cordatos & prudentes debeat alicui verti ignominia, si malit sine vllò periculo inuasorè fugere, *Coninck de act. superna.*

quàm cum periculo vitæ suæ ei resistere, aut eum in peccato mortali existentem occidere, atque ita ad infernum mittere. Quis enim vir cordatus talem ob eiusmodi fugam valde laudaret.

Addit aliqui, talem facillè sine acceptatione duelli posse euadere omnem infamiam, si dicat se id non recusare ob timorem mortis, sed precipis quia illicitum est, aliàs se aduersarium non timere, ipsumque hoc facillè experturum, si eum alicubi palam inuadat.

Sed hoc remedium sæpe in eiusmodi locis ac casibus erit inefficax, cum alij sibi persuadebunt, prouocatum solo metu à pugna prohiberi.

Nihilominus tamen omnino dicendum est, ita prouocatum etiam in dictis circumstantiis illicitè duellum acceptare. Primò, quia est communis Doctorum. Secundò, quia occisio alterius quādo non fit iuridicè & legitima auctoritate, est omnino illicita, nisi quando est necessaria vt teneamur nos nostraq; contra iniustū inuasorem nobis rebusq; nostris vim inferentē: atqui in dicto casu prouocans non inuadit vitam aliaue res prouocati, hinc vim inferendo: ergo hic illicitè vult illum occidere, prout facit acceptando & demum committendo duellum.

Maiores patet. Minor prob. quia prouocans nullam infert vim corpori prouocati, aut bonis eius siue diuitijs, vt per se patet: nec etiam famæ aut honori; quia hoc deberet fieri per detractionem aut contumeliā, quas prouocans nō adhibet: sed solum aliquid facit, quo alter ne peccet necessitatur recusare duellum, ob quā recusationem in instantiū animis, per accidens & ex horū malitia prouocati estimatio minuitur: quod ille multis casibus sine vlla huius vera iniuriæ facere potest. Vt patet, quando aliquis alium prouocat ad equales hautus in locis vbi habetur dedecor prouocanti non respondere. aut si domicella coram aulicis lubricis & Deum non curantibus inuiter iuuenem ad oscula aliaue minis honesta, tunc hi inuitantes ponunt aliam necessitatem aut peccandi, aut ab alijs ludibria patiendi, & tamen illi his nullam veram iniuriam inferunt.

Adde, sæpe contingere vt aliquis alteri verā iniuriam faciat, & quidem cum graui eius damno coniunctā, & tamen nō possit dici ei aut eius rebus vim inferre, ita vt patiens iniuriam possit illum priuata auctoritate vi ab ea continuanda cōpescere eum occidendo aut etiam lædendo. Patet, quando aliquis mihi debens multa millia non vult soluere, aut sua omnia inuuliter cōsumit, ita vt postea soluendo nō sit: qui sine dubio mihi valde iniurius est, nec tamè dicitur mihi rebusve meis vim inferre, nec possum eum priuata auctoritate vi cohibere ne istud faciat, aut compellere vt mihi soluat; & si id facere, non diceret vim repellere, sed alterum inuadere, & hic me lædendo diceretur vim vi repulisse, etiam eo casu, quo aliter nequirem solutionē obtinere.

Ex quo patet, longè aliam esse rationē eius qui inuasorē occidit, quando non potest aliter mortem euadere, nisi cum dedecore fugiat; & aliam eius qui prouocatur ad duellum, quia priori verè vis inferitur, non tamen secundo.

Probant hanc sententiam aliqui præterea, quia si liceret in eiusmodi casu acceptare duellum,

Potest quis sine sua iniuria esse occasio cur à vanis hominibus vilipendatur.

Non omnis iniuriam faciens vim inferit.

Cur potius liceat inuasorem occidere, quam acceptare duellum.

lum, sequerentur inde plurimorum cædes, aliæque damna ac animarum certa pericula, tum respectu prouocantis, qui cum sit in peccato mortali, si occidatur, certò damnatur; tum etiam prouocati, quem sæpe etiam continget in peccato mortali occidi.

Sed hinc solum sequitur, prouocantē grauius peccare cuiusmodi dāna sunt imputāda. Item acceptantē duellū tunc peccare quando probabiliter credit se esse in peccato mortali, & antequā duellum ineat non elicit contritionem, aut etiā non cōfiteretur, si possit. Aliās si in dicto casu acceptare duellū aliunde non esset illicitum, ob dictā incommoda nō esset illicitū ei qui omnino sperat se esse in statu gratiæ, aut antequam id iniret confiteretur; nam ex bellis multò maiora sequuntur incommoda, & tamen idēdō nō sunt illieita ex parte eius qui iustam causam habet.

11

Omnino tamen credo dictā incommoda esse sufficientia, ut acceptatio duelli in dicto casu quantumuis iure naturæ esset licita; posset iure positio prohiberi, ita ut hæc prohibitio obligaret etiā eos, qui sine eiusmodi incommodis non possent oblata sibi duella non acceptare. Quia lex etiā humana potest obligare ad sui obseruationē etiā cum periculo nō solum famæ, sed etiam vitæ, quando eius obseruatio est necessaria ad euitanda grauiora reip. incommoda, & præsertim animarum pericula, prout contingit in obseruatione legis prohibentis eiusmodi duella.

Lex humana quandoque obligat cum periculo famæ & vitæ.

12

Bañez.
Nauarra.
Sanchius.

Hinc et si spectato solo iure naturæ nō sit improbabile quod docet Bañez 2. 2. q. 64. a. 7. dub. 4. cōcl. 2. & in respō. ad 2. Nauarra 1. 2. de Restit. c. 3. n. 289. & 290. Sanch. 1. 2. in præcepta c. 39. n. 7. & alij; quādo inter duos lis agitur siue criminalis siue civilis, modò hæc sit magni momenti, & vnus conatur falsis instrumentis, aut testibus subornatis innocentē opprimere, hunc, si id ipsi certò constet, posse aliū secretò interficere, si id possit cōmodè facere, nec alia sit ratio euadēdi periculū, quod ipsi ab alio iniuste imminet: quia hæc occisio habet rationē iustæ defensionis contra iniustū inuāsores. Et si, in quā, hoc spectato solo iure naturæ nō sit improbabile, tamē credo iure positio posse id prohiberi: atque adeò de facto esse prohibitū legis prohibētis homicidia ad hunc casum extrēsiōne. vsū enim videtur receptū ut in quauis rep. bene cōstitutā talis occisor deprehensus morte puniatur, nec credo vllibi admittendā esse excusationem, quod id ob necessariā sui defensionē fecisset. Et meritò: nam si eiusmodi exceptio admitteretur, grauiissimi inde sequerentur abusus: cum enim litigantes cōmuniter sibi persuadeant se habere certum ius, quoties viderēt esse periculū ne causa caderent, facillē sibi persuaderēt, se aduersæ partis machinationibus iniuste opprimi, eumq; conarentur clam tollere: & sic infinitis cædibus daretur occasio. Quare meritò ius positio eiusmodi cedes etiā in casu quo fortē iure naturæ aliās essent licitæ, prohibet ac morte punit. vide quæ de hac re in simili diximus to. 2. de Sacram. disp. 26. n. 21.

Illicitè etiam occidis eum qui in iudicio conatur te calumniis opprimere.

13

Illicitè occulta veritas exploratur duello.
c. 1. de purg. c. Monomachiam.

Constat Secundò, duellū illicitè indicari aut suscipi ad explorandam occultam veritatem, iuxta quartū casum n. 5. positū. Patet ex c. 1. de purgat. vulgari, & c. Monomachiam. 2. q. 4. Ratio est, quia

id medium & in se crudele est, cum alterius aut quandoq; etiā vtriusque morte constet, & ad tale finem omnino inutile; cum sæpe innocētes in eiusmodi certamine occubant, ut patet ex c. 2. c. 1. de purgat. vulgari. Vnde etiā c. Monomachiam. c. 1. de purgat. tales dicuntur tentare Deum, volēdo eum quantū in se est cōpellere, ut miraculose seruando innocētem ostendat à quo stet veritas. idque sine vlla necessitate, cum alia ratione lites finiri possint ac debeant, scilicet per legitimas probationes ab actore allatas; aut si in his deficiat, per absolutionem rei, prout iura præscribunt.

Quare cōmuniter iam omnes fatentur grauius peccare tā magistratus eiusmodi duella præcipientes aut permitteutes, quā etiam eos, qui aliqua ratione eorum sunt spontanea causa.

Dubium tamen est Primò, quādo in iudicio siue criminali siue civili actor deficiens in probatione petit ut magistratu ut per duellū possit suā causam probare, & hic consentit, ita ut reus cogatur aut duellū suscipere, aut condēnari tanquā legitimè probatus reus, prout olim multis locis fuit receptissima cōsuetudo; vtrum hic licitè duellū acceptet. Secundò, quando ei qui in iudiciū trahitur, constat actorem mala fide agere, & falsis instrumenta contra se fingere, aut falsos testes subornare, atque ita se necessariā causam casurum, nisi permittente id magistratu aduersarium ad duellum prouocet, vtrum id licitè faciat in causa criminali, aut etiam in civili valde magni momenti.

Quidam absolute negant in his casibus licitè aut suscipi aut offerri duellum. Ita Abulenſis 1. Regum c. 17. q. vlt. Salon 2. 2. q. 64. ar. 3. controuertit. 3. Siluester v. Duellum. q. 2. & probabilius putat Malderus 2. 2. q. 41.

Prob. Primò, quia si tunc licitè acceptaretur duellū, id fieret ob necessariā vitæ defensionē: at qui, cum talis sponte acceptet duellū, non est defensor vitæ, sed aggressor: ergo illicitè id facit. Secundò, quia committens duellū inuadit aduersarium, & conatur eum occidere indemnatū: hoc autem est illicitū: ergo, &c. Confirm. quia talis non posset sua sponte alterum extra duellū ob eam accusationem occidere: ergo nec potest id facere quando iudex mandat ut cū eo duellum ineat. Tertiò, quia talis exponit se periculo mortis; idque solum ex coactione conditionata, quæ consistit cum voluntario. Quattò, quia talis vult per duellum explorare occultam veritatem; quod est tentare Deum; ut patet ex dictis n. 13. Quintò, quia aliās liceret etiam sacerdoti in eiusmodi casu suscipere duellū: at qui hoc est falsū: ergo & illud. Sextò, quia Trident. sess. 25. c. 19. de reformat. generatim omnia duella prohibet: ergo saltē iam sunt omnino illicita.

Alij docent Primò, tatem licitè suscipere duellum in causa criminali, quādo aliās nequit euadere iniustam mortem aut mutilationem. Secundò, eum iniuste id suscipere, quando solum agitur de perditione bonorum temporalium. Ita Caiet. 2. 2. q. 95. a. 8. circa solut. tertij. Nauarra. Caiet. c. 11. nu. 39. & alij. Probat, quia in priore casu iudicis conando eum occidere, contra quem hic licitè se armis defendit, eligens incertum vitæ periculum.

periculum præcerta morte. In secundo verò casu actor non inuadit alterum armis, quare hic non potest se armis defendere.

17 Tertiò, alij docent in vtroque casu licere ei, qui aut à iudice ad id modo iam dicto cogitur, aut falsis testibus ita opprimitur, non solū suscipere oblatum duellum, sed etiā alteri hoc offerre, quādo aliter nequit euitare, quin in re valde magni momenti iniuste damnetur. Ita Bañez, Nauarra & Sanchez citati sup. n. 12. Quāuis Nauarra solū affirmet in ijs casibus licitè acceptari duellum, de prouocatione autem nihil dicat; ex eius tamē principijs, puto eum idē sentire de prouocāte, quādo non est alius modus euadēdi condemnationē. Et hæc sentent. credo veriorē.

Bañez.
Nauarra.
Sanchez.

18 Quòd autem dicta liceant in causa criminali quādo reus nequit aliter euadere iniustam mortem aut mutilationem, probatur, quia secūdūm communē omnium sententiā licitè occidimus inuasorem quando id est necessariū ad tuendā vitā aut membra nostra: at qui talis actor sua accusatione iniuste inuadit reum, & sine dubio eū gladio iudicis occidet, nisi hic acceptando aut offerendo duellū se tueatur: ergo hæc reo licent, etiam si probabiliter mors accusatoris inde secutura sit. Confirm. quia si quis in me incitaret ferocem canem, aut sicarios, qui me certò essent occisuri nisi ipsum incitantem prius occiderem, licitè id facerem si possem: ergo idē dicendum quando aliquis falsis accusa-
19 bus iudicem contra me incitat, à quo certò sim occidendus, nisi occidam accusatorem.

Nec hic distinguendū est inter reum suscipiētem & offerentē duellum; quia vtrumq; eodem modo hic & nunc ordinatur ad necessariam sui defensionem contra iniustum inuasorem. quæ magis patebunt ex solutione argumentorum, quæ pro contraria sententia allata sunt r. 15.

Ad primum, nego minorem. quia talis non sponte, sed alterius iniuria & metu mortis aliās certò imminens compulsus duellum suscipit. Nec refert quòd id liberè faciat; nam etiam is, qui defensionis causa occidit latronem se inuadentem, id liberè facit; & tamen hæc occisio non est inuasio, sed iusta defensio: ergo idē dicendum est de illo duello.

Ad secundū, nego maiorem: nam, vt patet ex dictis, talis non est inuasor alterius, sed vitæ suæ defensor. Ad contr. quid quid sit de antecedēte, quod multi graues Auctores citati n. 12. negant; nego consequi. Primò, quia prius salte per leges ei prohibetur, vt ostendit. 12. secūs est de secundo: nā hic agimus de locis in quibus publica auctoritate eiusmodi duella permittuntur; quod olim erat valde frequens. quæ nequeunt ibidē iure ciuili prohiberi; nec etiā iure Ecclesiastico prohibetur ita cōpulsio, vt infra ostendā. Secūddò, quia, etsi etiā ipeccato solo iure naturæ fortè sit illicitū clam occidere eiusmodi falsum accusatorem; inde tamen non sequitur esse illicitū ini-
20 re cum eo duellū, præsertim publica auctoritate. Primò, quia prius sapit maiorē crudelitatem, & acutius moribus magis abhorret. Secūddò, quia ea ratione certò omnino sequitur mors accusatoris; in duello autē sæpè contingit alterutrum solū vulneratum prosterni seruata vita.

Coninck de act. supernat.

imò sæpè fieri potest vt accusator prius pertinax adueriens periculum sibi ex duello iam imminens, ab inceptis desistat. Tertiò, quia si accusator ita clam occidatur, certò mittitur ad infernum, cum sit in peccato mortali: in duello autem, præsertim publico, rarò contingit aliquem ita subito occidi, vt iam læsus non possit ante mortem confiteri, & ita saluari.

Ob has causas nullo modo possum probare id, quod docet Nauarra suprà, scil. innocentem ita prouocatū ad duellū teneri id non acceptare, si possit accusatorem occultè occidēdo omne periculū euadere, eumq; tunc teneri hoc medium se liberandi eligere, ne acceptando duellum sit prouocanti occasio noui peccati sine necessitate: hoc enim non est tanti faciendum, præsertim cum ille per ipsam prouocationē id peccatū iam in voluntate commiserit. Et quāuis ratione duelli commissurus sit fortè alia peccata, tamen hoc minoris est momenti, quàm sit ipsius damnatio, quàm clam occisus certò incurreret, & per duellum fortè euitabit.

Ad tertiū, Respondeo nos sæpè licitè nos exponere periculo mortis ad graue aliquod dānū euadendū etiā in rebus temporalibus; aliās nūquam pro his defendendis liceret se opponere grassatoribus, quoties id fieret cū periculo vitæ; imò illicita essent omnia bella quæ pro dominio temporali geruntur, cum in ijs plurimi sint certò occidēdi. Adde, in causis criminalibus accusatū suscipiendo duellum, non exponere se periculo vitæ, sed dubium periculum præcerta morte eligere, atque ita se ex parte periculo eximere.

Ad quartum, nego priorem partē assumpti: talis enim suscipit duellum non tam vt probeat se innocentem, quàm vt certam damnationem euadat, ac se contra inuadentem tueatur.

Ad quintū, nego minorem: nec enim est vlla ratio cur sacerdoti eo casu non liceat duellum acceptare, quando aliās tamquā conuictus de enormi crimine deberet infami morte plecti, hoc inquam illi licet, non quidē ita vt per se pugnet (quod statum eius valde dedecet, nec necessariū est, ideoque multi negant hoc ei licere) sed vt alium suo loco pugnaturum substituat, prout in locis, in quibus viguit ea consuetudo, semper fuit permissum.

Ad sextum, Respondeo Trident. ibi solū agere de veris duellis iure naturæ illicitis, & quorum vsus ex se detestabilis à diabolo introductus est; vt patet ex initio capitis. Pugna autem quam hic dicimus licere, etsi ex parte tam iniusti accusatoris, quàm ipsius magistratus habeat rationem duelli iure naturæ & positio prohibiti, ex parte tamen rei, qui necessitate compulsus id suscipit, non habet rationem duelli, sed iustæ defensionis sui ipsius ac rerum suarum contra iniustum inuasorem.

Quòd autem dicta etiam liceant in causa ciuili magni momenti, siue quādo reus aliās iniuste esset spoliandus magna ex parte omnibus fortunis; probatur, quia, vt bene docent Auctores citati n. 12. & cum alijs Lessius de iustitia c. 11. licitè occidis iniuste conantem tibi eripere bona fortunæ magni momenti, quando aliter ea seruare nequis, vt apertè etiā habetur c. Dilecto, 6. c. Dilecto.

H h 4

de

Cur potius
liceat calu-
niantem in
iudicio pro-
uocare ad
duellum,
quàm clam
occidere.

Lessius.

de sent. excommunic. in 6. ubi dicitur quemdam decanum licite armis defendisse sua bona contra vim cuiusdam balliui ea inuadentis. Vt autem patet ex dictis, susceptio talis duelli eo casu est vera rerum suarum defensio contra iniustum inuasorem.

25 Ad argum. positum nu. 16. Respondeo nos licite nostra etiam armis defendere contra quēuis iniustum inuasorem conantem nobis ea eripere, qualis est talis actor; nam aliās non licet armis inuadere furem nostras res auferentem, quem tamen licite occidimus quando aliter res nostras magni momenti seruare non possumus; vt cum alijs docet Lessius supra.

Lessius.

26

Notandum res quas actor conatur nobis in iudicio eripere debere esse valde magni momenti, vt propter eas licite suscipiamus duellum; nā aliās imprudenter pro ijs seruandis & nostriā & alterius vitam periculo exponimus. Imō puto debere notabiliter maioris esse momenti quam sint ea, quae sufficeret vt quis armis aggrediatur eū, qui extra iudicium eius bona vi inuadit: tum quia hic maiorem magis; apertam iniuriam infert, quam alter; tum etiam quia defensor communiter minore suo periculo oppugnat eiusmodi inuasorem; quia potest in hoc vt melioribus armis & aliorum auxilio, & conari alterum ex improviso aggredi. Suscipiens autem duellum solus & paribus armis debet alterum ad id paratum aggredi.

27 Illi licet suscipi duellum contra blasphemantē.

Ex dictis satis patet illicite suscipi duellum in sexto casu ex recensitis n. 4. quia hoc fieret ad probandam controuerſam veritatem; & postularetur a Deo vt miraculosa sua protectione palam faceret vter foueret iustam causam. quod esset tentare Deum, vt patet ex dictis n. 13.

28

In quinto autem casu quidam negant ea duella licite vnuquam suscipi. Sed communior & verior sententia docet, id licite fieri in ijs circumstantijs, in quibus creditur aut necessarium aut valde vtile ad bellum feliciter finiendū, aut promouendum: vt si iusta causam fouens crederet se toto exercitu non posse nisi cum suorum periculo ac strage configere; & speraret se singulari aut paucorum cum paucis confictu posse minore periculo bellum feliciter conficere. Item quando credit eiusmodi paucorum inter se confictu se posse aut suorum animos aliās deijciēdos multum erigere, & contra hostium audaciā comprimere; licite eiusmodi conditiones, aut ab hoste oblatas acceptat, aut etiam ipse offert: nam cum licite bellum gerat, potest id facere eo modo aliās non illicito, quem hic & nunc credit magis commodum: nec vlla est ratio cur minus ei liceat configere sola parte exercitus, quam toto: & sicut potest totum exercitum exponere dubijs belli casibus, ita etiam partem. Nec refert, quod alij milites se obligent non succurrere socijs periclitantibus; quia hoc iustis ex causis licet; praesertim cum pugnatūri sponte ad id se offerant, easque conditiones suscipiant. vide Sanchez supra n. 13.

Sanchez.

29

Trident. Foras duellum.

Nota susipientibus iniusta duella, aut in ea consentientibus grauissimas penas à Tridentino sess. 25. c. 19. de reformat. esse statutas: Primò enim principes cuiuscumque dignitatis co-

cedentes locum securitatis duellum ineuntibus sunt ipso facto excommunicati. Secundò, si locum, siue castrum siue ciuitatem, in quibus vel apud quae duellum permittunt, ab Ecclesia aut ab alijs feudi nomine obtineant, eius dominio priuantur, idque redit ad dominum directum. Tertio, duellum ineuntes & eorum patrini sunt excommunicati, perpetuo infames, & vt homicidæ puniendi, & eorum bona fisco addicta. Quarto, in eo occisi carent Ecclesiae sepultura. Quintò, qui auxilium aut consilium ad duella dederint, aut ea alicui suaserint, aut spectatores se praeberint (scilicet ex copposito & ita vt in duellum censeantur consensisse, vt patet ex motu Gregorij XIII. infra citando. & docet Nauar. c. Nauar. 15. n. 9. & Sanchez. sup. n. 31.) sunt excommunicati.

Quamuis autem Concilium solū loquatur de solemnibus duellis, tamē Gregorius XIII. in bulla quae incipit: *Ad tollendam detestabilem*. promulgata anno 1582. dicta extendit ad duella priuata, siue non solēnt. Plura hac de re vide apud Sanchez. sup. n. 18. & sequentibus; vbi has penas tum ex Tridentino, tum ex bullis Gregorij XIII. Pij IV. & Clementis VIII. fusè explicat.

D V B I V M III.

Quid sit seditio?

DE hac tractat S. Thomas q. 42. docetq; seditionem esse speciale peccatum paci ac caritati contrarium; quia quietem communitatis politicae turbat, & ita eius bono aduersatur: quod cum sit graue malum, bene infertur ex genere suo esse peccatum mortale.

Est autem propriè seditio quando partes vnius communitatis inter se dissentiunt, vnaq; se ab altera ei aduersando eamque tentans oppugnare se iungit; ita vt quaeque ab altera seorsim eat. vnde volunt seditionem ita dictam quasi seorsimitionem.

Differt autē à discordia, quia haec est aliquid generalius, & significat propriè dissensionem animorum tam in spiritualibus quam in temporalibus: seditio autem externam dissensionem significat inter partes eiusdem communitatis temporalis, & quidem talem quae ad pugnam tendit. vnde differt etiam à schismate, quod significat dissensionem in communitate spirituali; & à rixa, quae solū est inter paucos, nec respicit membra eiusdem communitatis.

D V B I V M IV.

Quid sit scandalum, & quale peccatum?

DE hoc tractat S. Thomas 2. 2. q. 43. Vbi. 1. ex commentarijs S. Hieronymi super c. 15. D. Thom. S. Marth. definit scandalum esse dictum vel factum minus rectum (siue quod ob aliquam circumstantiam à debita rectitudine deficit) praebens occasionem ruinae. Ex quo patet, scandalū solū posse consistere in actibus externis, & in solis alijs factis; quia aliās nequeunt esse peccata alicui esse occasio ruinae. Vbi etiam ar. 2. distinguit scandalum, in actiū, quod dicta definitione describitur; & passiuum, quod nihil est aliud, quam ipsum peccatum, ad quod committendum aliquis alieno facto inducitur.

Præ-

32. Scandalum aliud per se, siue datum.

Præterea a. 1. ad 4. notat unius factū dupliciter posse esse alteri occasionem ruinæ siue peccati. Primò, per se, ut sit quādo aliquis coram alijs aliquid facit, aut ea intentione ut inducat eos in peccatum; aut quod sit peccatum vel peccatum appareat, ideoq; ex se sit natum spectantes ob eorum infirmitatem inducere in peccatum. & hoc dicitur scandalum datum ex parte agentis; & ex parte patientis scandalum pūllorum. Secundo, merè per accidens; ut quando aliquis ex alterius factis ex se non inductiuo ad peccatum, & præter operantis intentionem, ex sua malitia accipit occasionem peccandi; & dicitur scandalum Pharisaicum, siue scandalum acceptum, & non datum. Ex quibus inferit, posse aliquando esse scandalum passiuum siue actiuo, ut in hoc ultimo casu: & quandoq; scandalum actiuū siue passiuo, quando quis facit opus natum scandalizare, & tamen de facto nemo scandalizatur; quādoque autem vtrumq; esse simul, ut quādo aliquis ex eiusmodi opere scandalizatur.

Aliud per accidens, siue acceptum & Pharisaicum.

Potest esse scandalum actiuum siue passiuo, & contra.

33. Quæ requiruntur ad rationem scandali.

Ex quibus patet Primò, ad rationem scandali non sufficere quòd aliquis ob factum alterius incipiat de eo habere malam opinionem, iudicando eum esse hominem impudicum, ebriosum, &c. quæ prius putabat esse virum pium; quia hoc potest fieri siue peccato proximi; sed requiritur ut vnus factū sit alteri occasio peccandi. Quod sit tripliciter. Primò, quando vnus alterius exēplo inducitur ad simile peccatum committendum. Secundo, quando quis alteri persuadet ut peccet. Tertiò, quando vnus ob alterius peccatum concipit malam opinionem aut de religione Catholica (ut sit quando infideles vident Catholicos grauius aliqua peccata committentes, indeq; colligunt Catholicos vel omnes, vel magna ex parte esse nequam; atq; adeo nostram religionem esse malam) aut laici incipiunt malè sentire de personis Ecclesiasticis vel Religiosis; & quia vident aliquos ex ijs grauius peccantes colligunt eos magna ex parte esse tales; & ita paulatim statum Ecclesiasticum aut Religiosum contemnunt, & minus erga pietatē afficiuntur. Qua ratione multi sapè à fide Catholica ad heresim deficiunt: imò hæc fuerunt præcipua argumenta quibus Lutherani & Calvinistæ in doctis hominibus apostasiam à fide persuaserunt.

34. Magnorum peccata maxime nata parere scandalum.

Vilium non ita.

Quando scandalum sit peccatum mortale, quando veniale.

Ex quibus patet Secundo, eorum peccata qui apud alios in auctoritate, aut pietatis æstimatiōe sunt, maxime esse nata parere scandalum, si coram alijs fiant; peccata autē vilium hominum raro scandalum parere, nisi ipsi simul adhortatione aut irrisione alios ad peccatum incitent. Patet Tertiò, scandalum actiuū semper esse peccatum mortale, si inducat ad peccatū mortale, & sufficiens adsit aduertētia; nam si (ut ostendi disp. 28. n. 15.) teneamur sub peccato mortali impedire alterius peccatum mortale, multò magis tenemur ei non dare occasionē, quando id vitare possumus. Quòd si desit sufficiens aduertētia, aut si alter tantum sit inducendus in peccatum veniale, scandalum tantum erit peccatum veniale; nisi fortè in vno casu, de quo agam n. 51. Ita cum communi sententia D. Thomæ supra a. 2.

D. Thom. mas supra a. 2.

Quid requiratur ut scandalum sit speciale peccatum contra caritatem?

Nota Primò, aliquem ex triplici intentione posse alterum scandalizare. Primò, directè intendendo ipsam ruinam siue mortē spirituale proximi, siue ideo cupiendo eum hoc aut illud peccatum committere ut reatum illius incurrat. Secundo, directè intendendo eum inducere ad actum malum, non tamen quia hoc ei malum est, siue ut ipse peccati reatum incurrat, sed ob alium finem: ut quia ipse siue alterius ope nequit perficere actum quē cupit committere; quā ratione vnus alium aut aliā inducit, ut se cū furetur aut fornicetur. Tertiò, faciēdo aliquod peccatū, aut speciē peccati habēs, quo credit alium inducendum ad peccatum, nullo tamen modo id expresse intendendo, sed solum interpretatiuè, quatenus vult facere id, ex quo videt alterū sumpturum occasionē peccandi. Fatentur autē communiter omnes DD. omnē inducentem alterum aliquo ex dictis modis ad peccandum peccare, teneriq; hoc expresse & distinctè confiteri; nec in his aut in modo illud peccatū confitendi inter se dissident, ut bene notant Bañez & Lorca infra citandi. Quare restat solum difficultas magis speculatiua quàm practica, quā ex dictis intentionibus requiratur aut sufficiat ut scandalum sit speciale peccatum contra caritatem, in qua variæ sunt sententiæ.

35. Triplex intentio scandalizantis.

Prima docet, ut scandalum sit speciale peccatum cōtra caritatem, semper requiri primam intentionem. ita Angelus v. Scandalum, n. 2. in fin. Zecchius in Summa morali, p. 1. tract. de caritate c. 21. n. 5. fauetq; Durand. in 3. d. 38. q. 3. a. 3. & quidam alij. Pro eadē sententiā plures citant D. Thom. sup. a. 3. & in 4. d. 38. q. 2. a. 2. quæstionē. 2. vbi dicit, ut scandalum sit speciale peccatū, ruinam proximi debere intēdi. Alij tamen respondent eum loqui de intentione interpretatiua; quā ratione censetur velle ruinam proximi qui aduertēs facit aliquid natum alterum ad lapsum inducere. Colligunt id ex a. 1. ad 4. vbi tale scandalum vocat scandalum per se; & a. 3. in corpore absolute docet, scandalum per se habere speciale malitiam, & in eo intēdi ruinam proximi. & in fine articuli ait: Vnde sicut furtum est speciale peccatum, aut homicidium, propter speciale nocuum proximi quod intenditur; ita etiam scandalū est speciale peccatū, propter hoc quòd intenditur speciale proximi nocuum. Vbi aperte significat, ut scandalū sit speciale peccatum, nocuum proximi non aliter debere intēdi, quàm debeat intēdi in furto & homicidio, ut hæc sint specialia peccata: atqui in his sufficit hoc intēdi interpretatiuè, ut patet in homicidio solum voluntario in causa, & communiter in omni furante, qui id facit non ut alteri damnum inferat, sed præcisè ut rem illam habeat; vnde si fieri posset cuperet alium suo furto nullum dānum pari. Hinc etiam D. Thom. in 4. loco sup. citato in respon. ad 3. docet scandalum accipere speciē ex fine ad quē ordinabile est: insinuans id non debere expresse actu ordinari in damnum proximi, ut ex eo speciem accipiat; sed sufficere quòd ex se natum sit

36

Angelus, Zecchius, Durand.

D. Thom.

D. Thom.

fit causare ruina proximi, atque ita ad eam sit ordinabile.

37 Dicta autem sententia probatur Primò, quia scandalum potest dari per quodvis genus peccati: ergo non est speciale peccatum: nisi ruina proximi expressè intendatur. Secundò, scandalum passivum aliàs non est speciale peccatum: ergo nec activum. Tertiò, quia si scandalum ratione dñi spiritualis, quod proximus incurrit, esset speciale peccatum, etiam quando hoc expressè non intenditur, deberet alicui virtuti speciatim opponi: sed hoc dici nequit: ergo non est speciale peccatum. Minor prob. quia nec opponitur iustitiæ, quia cum scandalizatus sponte peccet, nulla ei sit iniustitia. nec etiam caritati Dei aut proximi, quia ut aliquis actus sit actus caritatis in Deum aut proximum, eliciens debet in eo expressè intendere bonum Dei aut proximi: ergo ut aliquis actus sit directè contra caritatem Dei aut proximi, in eo expressè debet intendi malum Dei aut proximi. Quartò, quia aliàs sequeretur, eum qui suo facto aut suasionem inducit alium ut hominē occidat, gravius peccare eo qui per se alium occidit: hoc autem est falsum: ergo & id vnde sequitur.

Addunt aliqui ex dictis Doctoribus, quando in scandalo non intenditur ruina proximi, illud esse peccatum eiusdem speciei cum peccato ad quod alter inducitur; v.g. contra iustitiam, si hic inducatur ad furtum, &c.

38 Alij docent Primò, scandalum esse speciale peccatum contra caritatem, quando proximi ruina expressè intenditur. quod per se patet.

Secundò, quando proximus scandalizatur per actum ex se alias non malum, sed tantum habentem speciem mali, tunc illum actum reductivè esse speciale peccatum contra caritatem: quia cum tunc aliunde non habeat malitiam, primam malitiæ speciem accipit ex ruina proximi.

Tertiò, secus aiunt esse quando actus, quo proximus scandalizatur, ex se malus est: quia tunc ex suo obiecto habet primam speciem malitiæ; quare ea quæ ipsi accedit habet solum rationem circumstantiæ. Ita Caiet. in Sum. v. *Scandalum*. & Bañez 2.2. q. 43. a. 4. dub. 1. & alij.

Caietan.
Bañez.

Sed dicta ratio ac differentia in secundo & tertio casu data nullius est momenti; quia quod actus habeat ex obiecto speciale malitiam, nullo modo impedit quin ex circumstantiis aliā specialem contrahat, quantumvis hæ non intendatur. nam fornicatio habita in loco sacro contrahit specialem malitiam sacrilegij non minus quam actus coniugalis ibidem habitus.

39 Pro resolutione tam huius quam quarundam aliarum difficultatum, Nota Secundò, hæc valde esse distincta; *Hic actus ex tali circumstantia contrahit specialem malitiam; & hic actus ex tali circumstantia contrahit malitiam quia ab alijs actibus malis distinguitur, siue quæ in alijs actibus malis non reperitur.* nā fieri potest ut aliqua circumstantia reperitur in omnibus actibus malis, & hi tamen ab ea accipiant aliquam malitiam specialiter alicui virtuti repugnantem, quam non haberent si illa circumstantia abesset. v. c. omne omnino peccatum est à Deo prohibitū, ideoq; eum offendit, atq; adeo hoc est commune omnibus peccatis;

Quædam specialis malitia reperitur in omni peccato.

& tamen singula hinc contrahunt speciale malitiam obedientiæ Deo debitæ repugnantem, quæ non haberent si per impossibile Deus ea numquam prohibuisset, nec ipsi offenderetur. Item omne peccatum adfert homini aliquod nocumentum spirituale, quod ipse ex caritate sui tenetur vitare, & tamen hinc contrahunt specialem malitiam, quam non haberet, si ex ijs talenocumentum non sequeretur. Quis enim dubitat, quin peccata nostra sint contra obedientiam Deo debitam, ita ut ea committendo finis verè Deo inobedientes? Item quin omnia, præsertim mortalia, sint contra caritatem Dei, quæ sicut nos obligat ad amandum Deum supra omnia, ita nos obligat ne faciamus aliquid ipsi ræ opere displicens; & quod cum eius amicitia nequit consistere? Imò, ut ostendi to. 2. de Sacram. disp. 2. dub. 3. & disp. 10. dub. 2. omne peccatū mortale hinc accipit quoddam infinitæ malitiæ, & pœnā absolute infinitam mereatur: quæ non haberet, si Deus illo nullo modo offenderetur. Si enim furtum v. c. nullo modo à Deo prohiberetur eiuse displiceret, quantumvis pergeret non minus quam modò, repugnare iustitiæ; tamen nullo modo mereretur pœnā æternā; & consequenter non contraheret omnem malitiam, quam modò contrahit. Item si Deus nollet propter furtum priuare hominem vita spirituali; fur longè minus peccaret contra caritatem sui quam iam peccet. Si enim graviter peccet contra caritatem sui, qui sine iusta causa facit aliquid, ex quo scit sibi certò imminere mortem corporis; quomodo non peccabit contra caritatem sui, qui facit aliquid ex quo scit sibi certò imminere mortem animæ, quæ morte corporis sine comparatione peior est, quamq; ideo longè magis etiā tenemur vitare? Quia tamen hæ circumstantiæ omnia peccata, præsertim mortalia, afficiunt; inde fit quoddam nulli tribuant aliquam malitiam, quæ ab alijs peccatis mortalibus distinguatur.

Nota Tertiò, aliquod peccatum dupliciter posse alicui virtuti repugnare. Primò, præcisè, quia repugnat eius præceptis siue obligationi quæ nobis ea virtus inducit. Sic omne peccatū, præsertim mortale, est contra caritatem & obedientiam Deo debitam, & omnis actus, quo sine iusta causa infertur proximo nocumentum, est contra eius caritatem. Secundò, quia nō solum obligationi siue præceptis virtutis, sed ipsi virtuti secundum se directè contrariatur: quæ ratione odium Dei aut proximi contrariantur caritati Dei & proximi; & facere aliquid quia prohibitum est, aut omittere quia præceptum est, repugnat obedientiæ. Quia autem hæc peccata continent specialem quandam repugnantiam cum virtute, quæ non continent priora; ideo hæc dicuntur specialem malitiam contra illam virtutem continere, & priora solum generalem. Cum quo tamen optimè consistit, quod priora continent etiam veram repugnantiam cum dictis virtutibus, & consequenter inde veram malitiam contrahant distinctam ab omni malitia, quam aliunde fortè contrahunt. patet ex iam dictis.

Confirm. quia qui omittit procurare bonum Dei aut proximi quando ad hoc ex caritate tenetur, peccat contra caritatem Dei aut proximi,

41

8

& speciale inde contrahit malitiā: ergo idem dicendum quando aliquid facit, ex quo sequitur aliquod malum Dei aut proximi; quale est omne peccatum, præsertim mortale, respectu caritatis Dei.

Respondent aliqui illud solum esse verum in peccatis omissionis, non autem in peccatis commissionis. Sed huius differentie nulla potest probabilis reddi ratio; & contrarium prob. Primo, quia caritas Dei & proximi non minus prohibet inferre malum Deo aut proximo, quam id non impedire: ergo illud non minus repugnat caritati, quam hoc. Secundum, quia qui sine iusta causa facit aliquid ad quod habet ius, ex quo videtur securum nocumenrum proximo; ut si creditor, cum sine notabili suo incommodo posset diutius carere sua pecunia, cogat debitorem ut cum magno suo incommodo statim sibi soluat; talis inquit peccat speciali peccato contra caritatem, idque actu positivo, etiam si non intendat expresse proximi incommodum: ergo ut quis actu positivo committat speciale peccatum contra proximi caritatem, non est opus ut proximi damnum intendat.

Nec potest dici hoc solum habere locum in actibus, qui aliis ex obiecto suo non sunt mali; secus autem esse in actibus ex obiecto malis, quia, ut ostendi n. 38, nulla est ratio cur actus ex obiecto suo malus non tamen possit ex circumstantiis contrahere specialem malitiam, quam actus ex obiecto suo non malus. nec enim caritas minus prohibet per unum actum, quam per alium dare occasionem damno proximi.

Dices, Hinc sequitur in quouis peccato contineri varias malitias specie distinctas, atque adeo quoduis peccatum virtute continere multa peccata diuersæ speciei, v. c. furtum esse Primum, contra iustitiā quatenus est iniusta usurpatio rei alienæ; Secundum, contra caritatem proximi quatenus huic est dānosum; Tertium, contra caritatem Dei quatenus ei displicet; Quartum, contra eiusdem obedientiā quatenus ab eo prohibetur est; Quintum, contra caritatem qua peccator se tenetur amare, quatenus peccando priuat se vita spirituali; Sextum, contra gratitudinem Deo ob accepta beneficia debitam.

Respondet concedendo totum, nec hoc villo modo esse absurdum, sed veritati ac rationi maxime consonum: ut satis patet ex dictis n. 39. Hoc solum addam, clarum esse apud omnes Petrum inferendo Paulo contra iustitiā aliquid damnum ceteris paribus gravius peccare, quo magis obligatur hunc amare: quod non potest aliunde oriri nisi quia gravius peccat contra caritatem ei debitam: nam si in eo facto spectemus præcisè rationem iniustitiæ, ille æqualiter contra iustitiā peccat, siue multum, siue parum teneatur Paulum amare.

Ex quo aperte sequitur, idem peccatum posse esse contra iustitiā & contra caritatem proximi; & ex utroque capite diuersam malitiā contrahere. Itē quis non videat nostra peccata contrahere singularem aliquam malitiā per hoc, quod offendant Deū à quo tot beneficia accepimus, quam non contraherent, si aut ipse his non offenderetur, aut nulla ab eo beneficia accepissemus?

Ex dictis patet id, quod S. Thomas quibusdā locis docet, sc. ut aliquod opus sit speciale peccatum contra obedientiā aut gratitudinem, requiri, ut id fiat quia prohibetur est, aut in respectu beneficii accepti; non ita intelligendum esse quasi aliās illud opus non contraheret verā malitiam inobedientiæ aut ingratiitudinis, quæ non solum præceptis illarū virtutum, sed directè ipsius virtutibus opponitur, quam quæ nulla alia peccata contrahunt, quæ dicto modo non fiunt. Confirm. quia quando aliquis post multa ab alio homine accepta beneficia omittit ei referre gratias prout tenetur, aut facit aliquid aliās non malum, benefactori tamen ingratum, quodque idē teneretur omittere: et si hæc non faciat ut ostendat se beneficia accepta contemnere, tamen verē peccat immediatē contra aliquam virtutem; non contra aliam, quam contra gratitudinem: ergo potest quis speciali peccato peccare immediatē contra gratitudinem sine supra dicta intentione.

Similiter hominem sæpē peccare immediatē contra obedientiam, & consequenter peccato speciali inobedientiæ, sine eiusmodi intentione, ostendi to. 2. de Sacram. disp. 7. dub. 4. Quia tamen omnia nostra peccata sunt contra obedientiam ac gratitudinem Deo debitam, ideo quandoque dicuntur sine eiusmodi intentione non constituere speciale peccatum contra obedientiam aut gratitudinem, quia sine ea non contrahunt specialissimam illam malitiam, quæ in alijs peccatis non reperitur. His positis sit

CONCLUSIO. I. Ut aliquis actus sit speciale peccatum scandali contra caritatem, sufficit quod videns proximum inde sumpturū occasionem peccandi eum nihilominus sine iusta causa faciat; siue illud opus sit aliās malum, siue non. Ita Petr. Soto l. 9. de Confess. sub finem. Siluest. v. Scandalum. q. 2. Valentia to. 3. disp. 3. q. 18. punct. 2. Lorca 2. 2. sect. 3. disp. 56. qui alios plures citat.

Patet ex dictis, quia cum caritas nos obliget ut quantum commodè possumus, impediamus peccatum proximi, ut patet ex dictis de correptione fraterna, multo magis nos obligat ne sponte demus ei occasionem peccandi: atqui non impediendo peccatum proximi cum facile possumus, peccamus speciali peccato contra caritatem: ergo eodem modo peccamus dando ei sponte occasionem peccandi.

Confirm. quia, ut omnes fatentur, qui suo facto, siue aliās malo siue indifferēti, dat sponte siue sciens sine iusta causa alteri occasionē peccandi mortaliter, ex eo contrahit novam malitiam mortalem in confessione exprimendam; quæ sine eiusmodi circumstantia non contraheretur: atqui ea non est immediatē contra aliam virtutem, quam contra caritatem Dei & proximi, qua obligatur viriūque malum quantum commodè potest vitare: ergo contra hanc virtutem specialem malitiam contrahit.

Minor patet, quia si illud peccatum, ad quod ille præter suam intentionem alterum suo facto inducit, esset præcisè contra castitatem, aut temperan-

44
D. Thom.

45
Potest esse peccatum scandali sine explicita intentione ruinæ proximi.
Petr. Soto.
Siluester.
Valentia.
Lorca.

46

43
In omni peccato continentur plures malitiæ.

Castitas si-
mileq; vir-
tutes nō ob-
ligant me
grauiter vt
vitia ijs con-
traria in alijs
vitent.

perantiam, aut similem virtutē, nec villo modo Deo displiceret, aut proximo peccati aut alteri vllum malū inferret; ipse præcisē per hoc quōd hunc suo facto ad peccatū induceret, aut nullo modo, aut non nisi leuiter peccaret. nam et si eiusmodi virtutes grauiter nos obligent vt vitia ijs contraria nullo modo committamus, siue per nos, siue per alios, hæc ijs suadendo aut mā- dando: tamen vt summū ex aliqua decentia nos obligat, vt ea in alijs impediamus, aut ne simus ijs præter intentionē occasio ea cōmittendi. vt ostendi disp. 28. n. 11. & 13. Confirm. quia alijs qui suo facto esset Petro occasio furandi à Paulo, hoc ipso, & quāuis eius opus alijs nullo modo esset iniuriolū Paulo, cōmitteret iniustitiā in Paulum, & in defectum Petri teneretur huic restituere ablata, non minū quam si Petro sua- fisset furari à Paulo, aut eum modū hoc faciendi docuisset: illud autē est apertē absurdum: ergo & id vnde sequitur, vide dicta sup. loco iā citato.

47

CONCLUS. II. Per hoc præcisē quōd quis suo facto expresse intendat alium inducere ad peccandū, ipse opus non contrahit propriē nouam malitiā in ratione scandali, sed illius peccati ad quod proximum intendit inducere, aut etiam odij erga proximum, si huius ruinā, qua talem siue qua ipse malā intendat. Hæc conclusionem Auctores citati n. 45. expresse quidem non tenent, puto tamen esse eorum mēte, & satis se- quitur ex iam dictis, & ex ipsa scādali definitione ex D. Hieronymi & D. Thomæ sententia al- lata n. 31. quam omnes communiter approbant.

Ex qua patet Primò, malitiā scandali in hoc consistere, quōd opus aliquod sit natum hūc & nunc aliquo modo causare proximi ruinā eum inducendo ad peccandū. Secundò, cum soli actus externi possint alios ad peccandū indu- cere, hos solos per se continere malitiam scan- dali, internos verò actus solū quatenus eo- rum sunt causa, quia non aliter possunt causare ruinam proximi.

Actus exter-
nus habet
malitiam in-
trinsecam
distinctā ab
ea quam ac-
cipit ab in-
terno.

Deinde Nora ex dictis disp. 3. dub. 3. actus ex- ternos intrinsecam suam malitiam moralem, quamquā solū materiale, habere propriam & distinctā a malitiā, quam accipiunt ab actu interno ratione finis ad quem ordinantur, quæ ijs extrinseca est.

48
Quōd actus
meus exter-
nus sit natus
patere scan-
dalum nullo
modo pedit
ab intentio-
ne.

Prob. igitur prima pars conclusionis, quia si- ue meo facto expresse intēdam alium inducere in peccatum, siue id non intēdam, si actus ex- ternus eodem modo fiat secundū omnes ex- ternas circumstantias, eodem modo erit natus inducere proximum ad peccatum, itaq; causare eius ruinam: ergo eodem modo contrahet ma- litiam scandali. Prob. Secundò, quia, vt iam of- tendi, opus externum per hoc præcisē quōd sit natum inducere alios in ruinā, est propriē scan- dalosum, & contrahit malitiam scandali, quæ ei intrinseca est, & ex qua voluntas, qua tale opus est volitum, contrahit malitiā ex obiecto. Item, vt ostendi dictā disputat. 3. dub. 3. intentio qua opus externum fit non mutat huius mali- tiam intrinsecam: ergo cum malitia scandali sit propriē immediatē in actu externo, & ab hoc vt ex obiecto deriuetur ad internū, quacumq; intēctione opus externū fiat, si respectu proximi

æqualiter sit inductum ad peccatum, æqua- lem habebit malitiam in ratione scandali.

Secunda pars prob. quia eodē præcepto quo vetamur aliquid facere, etiā prohibemur velle id fieri: atqui hoc ipso quo aliquis intendit al- terum inducere ad aliquod peccatum ipse vult hoc ab ipso fieri: ergo peccat contra idem præ- ceptum, contra quod peccat hoc faciens.

Nota, hoc dupliciter fieri posse. Primò, ita vt vnus expresse suadeat alteri vt faciat tale aut ta- le peccatum, aut doceat eum modum quo hoc facere possit; & tunc ipse externus actus secun- dum se, & præscindendo ab illa intēctione par- ticipat malitiam illius peccati ad quod alter in- ducitur: atq; adeo externus actus ita inducentis aliū vt faciat mihi iniuriam, est mihi secundū se iniuriolus, & obligat ad restitutionem dam- ni secuti. Secundò, ita vt actus exterior secundū se non spectet ad vitium, ad quod alter induci- tur: vt si quis cum alio comportando sit ei causa consumendi omnes suas pecunias, probabiliter sciens eum idē postea furaturū alienas, & hoc etiam intendat, nullo tamen modo id ei sua- dendo, eumūc ad hoc incitando. Quo casu ex- terior cōpotatio secundū se & intrinsecē non est contra iustitiam, nec illi à quo alter postea furatur villo modo iniurius, sed solū est cōtra iustitiam de nominatione extrinseca ratione in- tentionis, qua imperatur, ideoque non inducit obligationem restituendi; quia ad hanc nō suf- ficit intentio nocendi, nisi sequatur aliquis ac- tus externus, qui secundū se sit alteri iniurio- sus ac iniusta causa damni. vt cum alijs bene docet Lessius de iustitia c. 9. dub. 16. n. 113.

Intentione
causam
inducit
obligationem
restituendi

Lessius
50

Tertia pars conclusionis, scil. intentionem qua quis directē & expresse intendit ruinā pro- ximi, qua talem, siue qua malam proximo, esse verum actum odij erga proximum, prob. quia sicut velle bonum proximi qua tale in hoc si- stēdo, est actus amoris erga proximum; ita simi- limodo velle ei malum qua tale, est actus odij erga eundem: vt ostendi disp. 29. n. 15.

Dices, ad actum odij non sufficere quōd ve- lim alicui malum, sed requiri vt id velim ex dis- placentia personæ: talis autem potest ita expresse velle ruinam proximi non ex displicentia personæ, sed ob alias causas: ergo, &c.

Respondeo nego minorem. vbi Nota, du- pliciter aliquem posse intendere siue velle ru- nam siue spiritualem siue corporalem proximi. Primò, solū interpretatiuē & in causa, quate- nus ob delectationem aut vtilitatem quā inde sperat, cupiteum inducere vt faciat aliquem a- ctum cum quo illa necessariō coniuncta est, in- terim cupiens, si fieri posset, ipsum hunc facere sine villo peccato: qua ratione omnis peccans vult suam ruinam. Secundò, expresse & directē secundū se optando ruinam seu mortem spi- ritualem proximi, ita vt velit eum hoc vel illud facere vt tuat siue peccet: & hoc fieri nequit, ni- si ex odio ipsius Dei aut proximi. quia sicut hoc ad alios fines nequit esse vtile, nisi vt Deo aut proximo agere sit, ita nequit ob alios fines appe- ti, nisi forte quis id velit vt placeat diabolo. quo casu aliam speciem malitiæ contraheret: sed tunc non veller eam ruinam in ea sistendo, sed

Ruinam pro-
ximam cupi-
entem
potest

sed quatenus ad alium finem est utilis.

Sed quacumq; intentione ex iam dictis quis velit ruinam proximi, pater eum contrahere malitiam distinctam à scandalo.

51 Hinc etiam pater solutio alterius questionis, quam hic multi proponunt; vtrum sit peccatum mortale alterum inducere ad peccatum veniale expressè ipsius ruinam siue peccatum quatale intendendo. Respondendum enim est affirmatiue: quia talis intentio necessariò procedit aut ex odio Dei vel proximi, aut ex desiderio placendi diabolo. Quamuis igitur inducere alterum ad peccandum veniale per se loquendo sit solum peccatum veniale, quia hoc malum in suo genere leue est, nec ita grauiter obligamur illud in nobis aut alijs vitare: tamen illa intentio necessariò grauem inordinationem continet: nã etsi appetere ipsam delectationem peccato cõiunctam sit humanum; tamen expetere ipsam peccati malitiam aut spirituale malum quod nobis aut alijs inde sequitur, est diabolicum.

Intendere alterius peccatum veniale, præcisè quia peccatum est, est mortale.

Appetere peccatum quatale diaboli cum est.

52 Ad primum argumentum positum n. 37. nego antecedens: nam malitia scandali nullis cõuenit peccatis merè internis, nec externis omnino secretis, nec etiam factis corà ijs quibus scitur inde nullum imminere scandali periculum. Adde, consequentiam esse nullam; nam, vt ostendi num. 39. ex circumstantijs omni peccato communibus potest specialis malitia contrahi.

Ad secundum, nego consequ. quia aliquem peccare ob alterius exemplum nihil malitiæ addit eius peccato secundum se sumpto; sed hanc potius minuit: suo autem peccato alium ad peccandum inducere nouam malitiã peccato addit, vt iam ostendi. Quod si scandalum passiuè accipias pro ipsa peccantis ruina, siue morte spirituali, quam quilibet peccans mortaliter incurrit, abstrahendo an peccet ab alio inductus, nec ne; sic nego antecedens. nam ratione huius omne peccatum mortale contrahit specialem malitiam contra caritatem sui, vt ostendi n. 42.

53 Ad tertium, nego minore: quia, vt iam ostendi, inducere alium ad peccandum repugnat caritati Dei & proximi, quæ nos obligat vt vtriusque malum, quale est peccatum, quatum commode possumus impediamus, & consequenter ne illud causemus, eiue occasionem demus. Ad probationem minoris, nego consequentiã: quia vt aliquis actus sit bonus, ipsius honestas debet directè & in se intendi; vt autem sit malus, sufficit quod eius malitia sit indirectè & in sua causa volita. Respondent aliqui hoc verum esse in alijs peccatis, non tamen in peccato inobedienciæ aut ingratitudinis, aut quod est contra caritatem Dei aut proximi; quæ peccata non contrahunt specialem malitiam, nisi certa intentione ipsi virtuti directè repugnante fiant. Sed hoc sine fundamento dicitur, & contrarium esse asserendum satis ostendi n. 41. & 44.

Honestas debet directè intendi vt actus sit bonus, non tamen malitia vt actus sit malus.

54 Ad quartum, nego minorem loquendo de eo, qui sua suasiõne est vera causa cur alter occidat. nam illa ne quidem in sententia aduersariorum potest esse vera, qui asserunt, suo facto inducetem alium ad peccatum peccare eadem specie peccati qua peccat inductus. quod verum est, quando quis suadendo inducit alterum ad

peccandum: quo casu ex duplici capite contrahit malitiam homicidij, atq; ita duplicem. Primum, quatenus est causa actus iniusti, quem alter facit; Secundò, quatenus est etiam vera causa mortis occisi.

Secus omnino dicendū est de eo, qui solum suo aliquo facto dat alteri occasionem occidendi: tum quia cum solum sit occasio illius homicidij, hoc multo minus ei imputatur, quàm ipsi occidenti qui eius est vera causa: tum etiam quia prior solum peccat contra caritatem, alter verò etiam contra iustitiam, & quidem hic strictissime obligantē. Quæ vera sunt etiam eo casu, quo alterius mors occidenti solum volita est in causa, vt si iaculetur in aues sciens esse periculum ne hominem occidat: nam etiam in hoc casu hic est verè causa mortis secutæ, ac contra iustitiam peccat.

Hinc sequitur Primò, eum qui induxit aliam personam ad secum fornicandum, quantumuis aliàs ad similia paratam, non satisfacere dicendo in confessione se esse fornicatum, sed teneri dicere se illam induxisse ad fornicandum secum: quia per hoc præcisè commisit peccatum mortale distinctum à sua fornicatione. Quod maxime locū habet quando femina induxit virum ad fornicandum: quia cum hæ non soleant id facere nec fornicari nisi inductæ, nisi expriment se alium ad fornicandum induxisse, confessarius id ex earum confessione non colligit: secus cõmuniter est in viris, qui cum soleant feminas ad fornicandum inducere, hoc ipso quo dicunt se fornicatos, nisi circumstantiæ aliud suadeant, intelliguntur complices ad hoc induxisse. Quia tamen hoc non est perpetuum, tutius id in confessione exprimitur.

55 Inducens complicem vt secū peccet, hoc debet in confessione exprimer.

Sequitur Secundò, eum qui induxit alium ad peccandum, teneri exprimere in cõfessione ad quod peccatum ipsum induxit. quod verum est non solum in eo qui verbis aut suo facto expressè intendit alium ad peccandum inducere, qui peccat eodem specie peccato cum eo; ad quod inducit: sed etiam in eo qui suo facto sciens quidem, sed præter intentionem alium ad peccandum induxit: quia etsi propriè hic solum peccet contra caritatem Dei & proximi; tamen quia varia peccata diuersissime caritati Dei & proximi repugnant, cõfessarius non satis ipsius scandali grauitatē siue malitiam intelligit, nisi prænitens explicet speciem peccati, ad quod alterum induxit. præsertim cum in confessione non solum sint explicandæ circumstantiæ mutantes speciem peccati, sed etiam eæ, quæ hoc notabiliter aggrauant. vt probaui tom. 2. de Sacram. disp. 7. dub. 3.

56 Confitens debet exprimere ad quod peccatum alium induxit.

D V B I V M VI.

Vtrum cum aliquo nostro incommodo spirituali aut temporali teneamur vitare aliorum scandalum?

57 Satis hic constat Primò, numquam ob vllam causam licere aliquid facere ea intentione vt proximus inducatur in peccatum; quia sicut numquam licet peccamus, ita nunquam licet optamus proximum peccare.

Secundò, numquam licere facere aliquid pecca-

Rom. 3.

peccatū etiam veniale vt impediāmus alterius scandalum: quia, vt patet Rom. 3. v. 8. non sunt faciēda mala vt eueniant bona. Imò omnino implicat aliquid esse verē peccatum, & tamen licitē fieri. Potest tamen sapē contingere quōd ad vitandū aliorum scandalum licitē aliquid faciamus, quod aliās illicite faceremus, vt infra ostendam.

D. Thom.

Tertiō, constat bona spiritualia salutē necessaria numquam propter vllum scandalū posse relinqui, vt docet S. Thom. 2. 2. q. 43. ad 7. tum quia illa sine peccato relinqui non possunt: tum etiam quia, vt ostendi disp. 25. dub. 3. ex caritate tenemur plus amare nostram salutē, quā aliorum. Ea tamen quæ ad salutē necessaria nō sunt, possumus aut etiam tenemur aliquando ob vitandū pusillorum scandalum differre aut omittēre, vt infra ostendam.

58

Tota igitur difficultas hīc est, quando ad vitandū aliud incommodum sit licitum aut illicitum aliquid facere aliās ex se non malum, quod scimus proximo futurum occasione peccandi. Est autem hac difficultas duplex. Prima est, vtrum ad vitandū scandalum teneamur aut possumus aliquādo aliqua omittēre, ad quæ aliās iure positio aut naturæ obligamur.

Secundō, vtrum ob vitandū scandalum teneamur aliquando omittēre bona corporalia aut spiritualia ad salutē non necessaria; siue cum quāto nostro incommodo spirituali aut corporali teneamur vitare scandalum.

Circa priorem quatuor sunt sententiæ. Prima docet, ob nullum scandalum licitē aliquid omitti præceptum iure naturæ: solo autem iure positio præcepta ad vitandū scandalum omittēda esse, quia iure naturæ tenemur vitare scandalum, quod fortius ligat quā ius positium. Pro hac sententia citatur Couar. reg. Peccatum, p. 1. n. 4. sed ipse ibidem v. Quinto manifestum, expresse contrarium docet.

Covarr.

Secunda docet, ob vitandū scandalum nihil vnquam omittēdum quod sit præceptū iure naturæ aut diuino: præcepta autem iure humano semper omittēda. Ita Innoc. Imola, & Anton. apud Couarruiam supra.

Innoc.
Imola.
Anton.

Tertia docet, nihil vnquam etiam iure humano præceptum esse omittēdum ob vitandū scandalum. Pro hac sententia citantur D. Thom. sup. a. 7. Richardus in 4. d. 18. a. 1. q. 4. sed hic ibi hac de re ne verbum habet, sed eā tractat d. 38. a. 10. q. 2. Item Palud. ibid. q. 6. Durand. q. 4. Siluest. v. Scandalum. q. 3. Angelus ibid. n. 3. Armilla n. 6. & quidam alij. Deinde probatur ex c. 2. de noui operis nunciacione. vbi dicitur illa opera quæ sine peccato omitti nequeunt, ob scandalum vitandū non esse omittēda. Idem quē & nihil aliud dicunt Auctores iam citari. Sed hoc nihil facit ad rem: nā hīc non quærimus vtrum ad vitandū scandalum possumus omittēre ea, quæ hīc & nunc sine peccato omittēre nō possumus; sed vtrum aliās præcepta in tali casu sepe obligēt. Prius Pontifex dicto c. & Auctores citati negant; secundū verò nullo modo asserūt. Imò Richard. sup. §. Sed contrā. & in respons. ad 1. argumentum ibi positum; & Angelus supra, aperte docet, ad vitandū scandalum licitē o-

Richard.
Angelus.

mitti ea quæ aliās erant præcepta.

Quarta docet, quandoq; contingere vt aliās præcepta etiā lege diuina aut naturali ob scandalum vitandū sint omittēda, non tamen semper: & hanc infra probabo.

Pro resolutione Nota, vt patet ex dictis dub. 5. obligationem vitandi scandalum inde oriri, quia ex caritate Dei & proximi tenemur quantum commodē possumus vitare peccatum proximi cui per scandalum damus occasionē; adeo vt si illud nullo modo teneremur vitare, nullo etiam modo teneremur vitare scandalum. Sicut, quia non tenemur impedire ne proximus aliquid faciat, quod licitē & sine alterius incommodo facturus est, nō tenemur etiam vitare ne demus ei occasionē id faciendi. Ex quō sequitur, me ceteris paribus eo minū teneri cauere ne proximo dem occasione peccandi quo aut peccatum eius futurū est minū, vt per se patet; aut quo ipse magis voluntariē ac libere siue minore tentatione incitatus est peccaturus: quia cum tunc sit in minore necessitate, caritas minū me obligat vt ego ei succuram.

Nota Secundō, opus meum quo credo proximum inducendum ad peccatū, posse esse duplex. Primō, tale quod spectata cōmuni hominum infirmitate ex se natū est alios inducere ad peccandum. Secundō, quod ex se non sit inductiuum ad peccandum, sed solum per accidentem rationem particularis infirmitatis aut malitiæ eorum coram quibus illud agam.

Nota Tertiō, cum D. Thom. 1. 2. q. 6. a. 3. & Vasquez ibid. disp. 24. c. 3. vt aliquis effectus ex mea actione aut omissione per accidens & præter meam intentionē secutus sit mihi voluntarius mihi quē impuretur, necessariō requirit vt teneamur vitare. Ex quo confirmatur dictum primo notabili, scilicet peccatū proximi ex mea actione præter meā intentionem secutum eatenus solum mihi imputari quatenus tenebar illud evitare.

Deinde ex eodem sequitur Primō, peccatum proximi ex mea actione præter meam intentionem secutum eo ceteris paribus minū mihi imputari, quo magis per accidens ex mea actione sequitur; nam tunc eius minū sum causa; quia cum causa per accidens sit causa deficiens à ratione causæ, quo aliquid magis per accidens est causa, eo magis deficit à ratione causæ, & minū potest dici causa; & consequenter eiusmodi effectus operanti est eo minū voluntarius minūque imputabilis.

Sequitur Secundō, quo opus ex se minū est natum alios inducere ad peccandum, eo ceteris paribus horum peccatum ex eo secutum minū imputari operanti; & consequenter ipsum eo minū teneri illud omittēre ne hi peccent; & contrā ceteris paribus eo magis teneri illud vitare, quo ex se magis natum est alios inducere ad peccatum.

Nota Quartō, ex dictis de ordine caritatis me longe minū teneri vitare aliorum peccata quā mea, quod vel inde patet, quia ne vel minimum peccatum veniale possum committere, et si omnia aliorum peccata possem per id impedire; nec vlla potest mihi vnquam esse iusta causa

Ex minia
teneamur
ne re proximi
peccatum
quod id futu
rum est aut
minū aut
magis libe
rum.

60
D. Thom.
Vasquez.

Peccatum
alterius eo
minū mihi
imputari,
quo magis
per accidens
ex mea ali
one sequi
tur.

61

causa peccandi: sæpè autem occurrunt iustæ causa permittendi peccata aliena, etiam cum ea absolute loquendo possem impedire.

D. Thom.

Præcepta affirmatiua non obligant pro semper.

Præcepta humana communiter non obligant cum graui incommodo.

Tripliciter ex meo facto potest imminere scandalum.

62

Couarr. Valentia. Richard.

Angelus. D. Thom. Nauar. Adrian. Henriq. Sotus. Turrian.

63

D. Thomas.

64

Couarr. Teneor quòdque præcepta positiua implere etiam cum aliorum scandalo.

Nota Quinto, cum D. Thoma 2. 2. q. 33. a. 2. in corpore, præcepta affirmatiua etiam iuris naturæ non obligare pro quouis tempore, sed solum positis quibusdam circumstantiis ad eorum obligationem requisitis: quod etiam præceptis negatiuis humanis ex parte conuenit; quæ communiter non obligant, quòd impleri nequeunt sine graui nostro incommodo; vt Auctores communiter docent. Hinc die prohibito licet comedere carnes, quando sine graui meo periculo nequeo ijs abstinere.

Nota Sexto, tripliciter posse contingere vt alijs ex meo facto imminere scandalum peccandi. Primo, ita vt communitas vel tota vel magna ex parte credatur passura scandalum. Secundò, vt vnus aut alter determinatus credatur scandalizandus. Terriò, vt solum credatur aliquis in confuso scandalizandus; ita vt de nullo in particulari id possit colligi. Item quandoque poterit certo videri futurum scandalum, aliàs solum probabiliter. His positis sit

CONCLVS. I. Non solum præcepta humana, sed etiam diuina, imò & affirmatiua iuris naturæ, quando nequeunt sine scandalo pusillorum impleri, quandoque desinunt obligare. Hanc expresse docent Couarr. citatus n. 58. & Valentia 2. 2. disp. 3. q. 18. puncto 4. v. Dixi autem eamque videtur tenere Richard. sup. n. 58. citatus sub finem quæstionis. nã dicit ob scandalum quandoque omittendum esse quod aliàs de iure erat faciendum. Idem de iure humano docent Angelus ibid. citatus, & D. Thom. in Supplemento q. 8. a. 4. ad 5. de præcepto iuris diuini. Idem docent Nauar. c. 17. n. 4. Adrian. in 4. tract. de confess. q. 4. §. Ad argumenta. Henriq. l. 2. de Pœnitentia c. 12. n. 5. Sotus in 4. d. 18. q. 2. a. 5. in respò. ad 3. & plurimi alij quos citat Turrian. 2. 2. disp. 96. dub. 1. §. Terriò docet. docentes licere alicui confiteri non integrè, quando aliqua peccata nequit confiteri sine scandalo confessorij, qui ex ijs ad peccandum incitandus est.

Sequitur etiã aperte ex dictis notabili 5. nam cum dicta præcepta sæpè ob aliquas circumstantias desinant obligare, maxime videntur debere desinere quando sine graui aliorum scandalo nequeunt obseruari.

Et de præceptis positiuis videtur res satis clara: nã cum hæc communiter non teneamur implere cū valde graui nostro incommodo, multò minùs tenebimur ea implere cum graui aliorum scandalo & multorum ruina; cum hanc teneamur vitare etiã cum valde graui meo incommodo. De præceptis naturæ patet, quia Superior iure naturæ tenetur punire subditos peccantes; & tamen ad hoc non tenetur quando hoc nequit fieri sine graui aliorum turbatione ac scandalo. vt docet D. Thomas q. 43. a. 7.

Dixi, dicta præcepta eo casu quandoque desinere obligare, quia, vt bene notat Couarr. sup. hoc non est semper verum. nã qui scit suum Pastorè esse in peccato mortali, & si ipsi cõfiteatur peccatum administrando Sacramenta, nec aliud habet à quo possit hæc accipere, non debet

in paschate confessionem & communionem omittere, ne det ei occasionem peccandi. vt cum alijs ostendi tom. 1. de Sacram. q. 64. a. 6. dub. 2. Vt autem sciamus quando desinat obligare, & quòd non, ponderandū est ab vna parte quàm grauius præceptum obliget, & quantum hic & nunc bono communi aut meo spiritali expediat illud impleri; & ab altera spectanda est grauitas futuri scandalij, & ex duobus malis eligendum est minus.

Ad quod discernendum multum iuuabunt dicta notab. 1. in fine & notab. 6. ex quibus iunctis conclusionibus mox ponendis facile erit particulares casus colligere.

CONCLVS. II. Extra grauissimā necessitatem illicitè corā alijs facimus aliquod opus, quod ex se spectata communi hominum infirmitate inductionem est ad peccatum; quantumuis aliàs in se non sit malum: quia ita operans secundum moralem æstimationem censetur alios inuitare ad peccandum, ei que horum peccatum impuratur. Tale opus secundū Caiet. 2. 2. q. 169. a. 2. in respò. ad 1. dub. & Nauar. c. 23. n. 19. censetur, si quis & præsertim femina coram alijs ita incedat vt pudenda appareant. Et simile crederem esse edere libros notabiliter lasciuos, quia hilectorem valde incitant ad libidinē. Ob grauissimam tamen necessitatem similia quandoque licent: vt contingit cum femina in secretioribus partibus læsa ea debet medicis nudare.

CONCLVS. III. Quando ex aliquo opere, quantumuis aliàs bono, crederetur magna hominū multitudo ex infirmitate aut ignorantia inducenda in graui peccata, illud omittendum est etiã cum iactura vitæ, & bonorum spiritalium ad salutem non necessariorum. Ita Valentia sup. v. Nam ad tuendam. & patet ex dictis disp. 25. dub. 4. concl. 7. vbi ostendi ad succutendum periclitanti communitati aliquem teneri etiam deferere statum Religiosum, quando illud aliter fieri nequit. vbi etiam probaui hoc nō repugnare cum eo, quòd caritas magis inclinat ad perfectionem propriam, quàm ad alienam.

Ex quo patet, ad euitandum eiusmodi communitatis scandalum communiter licet omitti præcepta positiua, aut etiam iuris naturæ affirmatiua; quia hæc communiter cum tam graui communitatis incommodo non obligant. Quamuis vix possit contingere vt ex opere bono, qualia sunt omnia opera præcepta, eiusmodi scandalum nascatur, quòd aliter euitari nequeat, si veritas clarè alijs exponatur.

CONCLVS. IV. Quando ex meo opere aliàs non malo aut inductione ad peccatum creduntur vnus atq; alter in peccatum inducendi, tunc id omittendum est etiam cum aliquo meo incommodo spiritali aut temporali, & quidē eo maiore quo alter grauius aut cum maiore periculo aternæ dñationis peccaturus est: vt si esset peccaturus instante iam morte, aut ad infideles defecturus, &c. quia sicut ex his causis augentur & miseria & necessitas proximi, ita in me augetur obligatio cum ex his eruendi, vel potius cauendi ne in eam miseriam incidat.

Non tamen teneor illud omittere cū iactura vitæ aut aliàs valde graui famæ bonorumque tem-

65

Caietan. Nauar.

Ederelibros lasciuos maxime scandalosum est.

66

Valentia.

67

temporalium aut spiritualium, v. c. omittendo ingressum Religionis, aut susceptionem status Ecclesiastici, &c. Quia cum proximus si velit possit vitare ea peccata, & miseriam ea consequentem, non est in extrema, imò nec in valde graui necessitate spiritali, & consequenter non teneor eum cum tanto meo incommodo ex ea eripere. vide quæ dixi sup. disp. 25 dub. 4. & 5. & disp. 28. nu. 124. & quæ docet Valentia suprà in regula 3.

Valentia.

Ex quo patet, me eo cum minore meo incommodo obligari vitare proximi peccatum, & facilius ab eo excusari, quo eius peccatum futurum est leuius aut minus probabiliter futurum, aut quo cum minore tentatione magisque liberè ac ex malitia lapsurus est; quia eo est in minore necessitate, eiusque peccatum mihi minus potest imputari. vt patet ex dictis notab. 3.

68

CONCLVS. V. Quando opus non est ex se inductum ad peccatum, nec mihi potest probabiliter constare de aliquo in particulari quòd per id sit inducendus in peccatum, etsi credam fortè aliquos in confuso per id ad peccatum inducendos, non teneor id sub peccato mortali omittere. Ita Nauarr. c. 23. n. 19. & Caiet. suprà, docentes mulierem vanè se ornantem, modo tamen non inhonesto, non mala intentione, nò peccare mortaliter, etsi credat fortè aliquos inde accepturos occasionem peccandi mortaliter. Ratio est, quia cum ferè semper aliqui sint qui ex alienis operibus, quantumvis non malis, sumant sibi occasionem peccandi, nimis esset difficile & plenum scrupulis si teneremur omnes eiusmodi occasiones vitare. Adde, vix vnquam in dicto casu posse nobis moraliter aliquo modo certò constare ex hac vel illa actione aliquos ad peccandum inducendos.

Nauarr.
Caietan.

Quare minus teneor vitare scandalum aliquem in confuso qui persona certa.

69

Secus hæc se habent quædo ex nostra aliqua particulari actione crederetur aliquis in particulari ad peccandum, præsertim ex infirmitate incitandus; tunc enim eâ, si sine notabili nostro incommodo id fieri posset, teneremur omittere. Quod probatur, quia si possemus illius peccatum commodè impedire eum corripiendo, ad id sub peccato mortali teneremur: atqui caritas non minus nos obligat vt impediamus peccatum alterius subtrahendo ei peccandi occasionem, quam eum corripiendo, quando vtrumque æquè commodè fieri potest, vt patet ex dictis suprà n. 45. & seq. ergo ad hoc nos obligat sub peccato mortali, quando id commodè facere possumus. Ita Valentia sup. in 3. reg. Nauarr. c. 14. n. 30. Siluest. v. *Scandalum*. q. 2. & alij. Et hac ratione possunt conciliari hi Auctores cum alijs quos citat & sequitur Sanchez l. 1. in Præcepta c. 6. n. 17. qui docent, mulierem sine mala intentione aut necessitate egredientem ad locum vbi credit aliquem sua præsentia excitandum ad peccandum, non peccare mortaliter. Possunt enim hi intelligi de ea quæ solùm credit aliquem in confuso peccatum mortaliter, & alijs de ea quæ credit de aliquo in particulari

Valentia.
Nauarr.
Siluester.
Sanchez.

eum peccatum mortaliter.

In hoc tamen omnes consentiunt eiusmodi mulierem ne sit alicui etiam in particulari occasio peccandi, non teneri sæpius aut diu abstinere publico, aut alijs etiam cum aliquo notabili incommodo: quia hoc esset nimis graue.

Ex his sequitur Primò, id quod docet Valentia suprà v. *Secundo sequitur*. scilicet mulier quæ credit se hoc die adeundo templum futuram alicui determinato occasione ex infirmitate peccandi mortaliter, teneri etiam die festo omittere Missam vt hoc vitet, si nullum aliud sequatur incommodum; præsertim si ille esset alijs castus & nò solitus in eiusmodi peccata incidere. Quia tunc dando ei eam occasionem peccandi esset ei occasio grauis mali, & fortè cur sæpius in eiusmodi peccata postea laberetur. quod magis teneretur cauere, quam omissionem Sacri. Non teneretur tamè id eo sæpius Sacrum deferere, quia hoc nimis graue esset, & cum notabili iactura spiritualis profectus fieret. Similiter ne vel semel teneretur templo abstinere, quando alter esset ex mera malitia lapsurus, aut esset talis, qui sæpius sit solitus eiusmodi peccata committere: quia quòd hic semel amplius labatur non est tanti aestimandum, nec ita à nobis debet vitari, sicut lapsus alijs innocens.

Sequitur Secundò, facilius posse contingere vt quis ad vitandum confessarij lapsum teneatur non integrè confiteri, quædo committit aliquod peccatum ex cuius confessione omnino credit illum inducendum ad grauius peccandum, quæ vt teneatur omittere confessionem & communionem in paschate, quando scit confessarium ea sibi ministraturum cum peccato mortali. Quia hæc nequit omittere sine notabili suo dâno spiritali; tum quia eorum gratia, quam alijs percepisset, priuabitur; tum quia probabiliter perget hære in statu peccati mortalis ob defectum contritionis, quam nò ita facile poterit in se excitare: ideoq; etiam grauior longè requiritur causa vt hæc Sacramenta teneatur in paschate omnino omittere, & obligatio ea tunc suscipiendi grauius ligat, ob maiorem necessitatem rei perceptæ. Contrà verò omisso vnus peccati mortalis in confessione per se sine quando sine peccato fieri potest, nò ita nocet confitenti; cum possit ea non obstante iustificari, & sacramentalem gratiam suscipere. Vnde facilius ad alienum malum vitandum potest ad hanc omissionem obligari, & præceptum integrè confitendi minus strictè obligat, & facilius potest esse iusta causa non integrè confitendi.

Disputant hic præterea aliqui, quando peccet vendens aliqua quibus emens creditur abusus ad superstitionem, aut iniuriam proximo inferendam alijs vitia. Sed hanc difficultatem satis explicui disp. 18. dub. 13.

Item de præceptis caritatis egi disp. 24. Quare huic operi hic finem imponam, rogans Deum opt. maxim. vt id sibi ad gloriam, & lectori ad salutem velit cedere.

F I N I S.